Rostocker Dokumentenserver
Dieses Werk wurde Ihnen durch die Universitätsbibliothek Rostock zum Download bereitgestellt.
Für Fragen und Hinweise wenden Sie sich bitte an: digibib.ub@uni-rostock.de

Ludwig Gregor Nitzsch

Panegyricus Funebris Divae Memoriae Serenissimae Principis ac Dominae, Dominae Dorotheae Charlottae, Hassiae Landgraviae ... Dominae Suae Clementissimae, Die XXII. Dec. Anno MDCCV. In Alma Ludoviciana Dictus

Gissae Hassorum: Vulpius, [1705]

http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn830329854

Druck Freier Zugang PUBLIC DOMAIN

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn830329854/phys_0001
DFG

Oswald Weigel
Antiquariat & Auctions-Institut
Leipzig, Königsstr. 1.

1903

comp. l. coll. 5.0 rd.

A2/5



(Hessen)

R-1135

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn830329854/phys_0002
DFG

AK: 00 F.

Universitäts-
Bibliothek
Rostock

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn830329854/phys_0003
DFG

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn830329854/phys_0004
DFG

Index Scriptorum in hoc Volumine contentorum

1.) Ehren-Gedächtniß Dorotheen Augusten Land-Gräfin zu Hessen, gebohrnen Hertzogin zu Schleßwig Holstein, nebst Stamm-Tafel, und Balth: Mentzers Leichen-Predigt. 1663.

2.) Programma Tubingense cum Joh. Ulr: Progizeri nomine Academiæ Panegyrico in memoriam Ludovici VI. Landgravii Hassiæ Tubingæ. 1678.

3.) Samuelis Andreæ nomine Academiæ Marpurgensis Oratio Panegyrica in Carolum Hassiæ Landgravium, cum Carmine Academiæ Genethliaco. Marpurgi 1680

4.) Caroli Lucæ Panegyris in Carolum

1.

1. Hassiæ Landgravium & ejus natalem quadragesimum quintum. Rintelii 1698.

5.) Joan Phil: Lau Panegyris in nuptias Friderici III. Landgraviatus Hassiæ hæredis & Ludovicæ Dorotheæ Sophiæ Regiæ Borussiæ Principis. Berolini 1700.

6.) Ludov: Greg: Nitzch Panegyricus funebris in memoriam Dorotheæ Charlottæ Hassiæ Landgraviæ natæ e Domo Onoldina. Giessæ 1605.

7.) Erns: Ludow: de Gemmingen Panegyricus Ernesto Ludovico Landgravio Hassiæ dictus. Giessæ Hassorum 1705.

8.) Elegie sur la mort de Louyse Dorothee Sophie Princesse Royale de Prusse Hereditaire de Hessen Cassel décédée à Cassel 15 Nov: 1705.

9.)

9.) Castrum Doloris Georgio Landgravio Hassiæ in Expugnatione Barcelonæ eiusdemq: Fortalitii Montsuis mortuo positum à Iusto Eberhard Passern Darmstadii 1706.

10.) Christoph: Arnold de Voigt Oratio Panegyrica Hassiæ Iuventutis Principibus dictus, cum Programmatæ Academico & Carminibus Giessæ Hassorum 1707.

11.) Programma Giessense in nativitatem Ludovici Hassiæ Principis. Giessæ Hassorum 1720.

12.) Frid: Herm: Zoll & Joh: Nic: Funccii nomine Academiæ Rinteliensis Orationes Funebres Panegyrici in memoriam Caroli 1. Hassiæ Landgravii

gravii cum Programmate Academico. 3. stück
Rinteln 1730.

14. 13.) Christoph. Frid: Ayrmanni Votum Occasio-
ne Connubii Maximiliani & Fridericæ Char-
lottæ Principum Hassiæ 1720.

15. 14.) Ejusdem Luctus in funere Principis Here-
ditariæ Hasso-Darmstadinæ Natæ Comi-
tis & Heredis Hanoviæ. Giessæ 1726.

16. 15.) Christiani Breithauptii nomine Acade-
miæ Juliæ Gratulatio Solemnis in nuptias
Friderici Landgravii Hassiæ Principis;
cum Carmine Academiæ Göttingensis
& alio Germanico 3. stück Helmst.
1740.

PANEGYRICUS FUNEBRIS
DIVÆ MEMORIÆ
SERENISSIMÆ PRINCIPIS
ac DOMINÆ,
DOMINÆ DOROTHEÆ CHARLOTTÆ,
HASSIÆ LANDGRAVIÆ,
PRINCIPIS HERSFELDIÆ, NATÆ E SERENISSIMA DOMO ONOLDINA, MARCHIONIS BRANDENBURGICÆ, DUCIS BORUSSIÆ, MAGDEBURGI, STETINI, POMERANIÆ, CASSUBIORUM AC VENEDORUM, ET IN SILESIA CROSNÆ, BURGGRAVIÆ NORIMBERGENSIS, PRINCIPIS HALBERSTADII MINDÆ ET CAMINI, COMITIS IN CATTIMELIBOCO, DECIA, ZIEGENHAINA, NIDDA SCAUMBURGO, YSENBURGO ET BUDINGA &c.
DOMINÆ SUÆ CLEMENTISSIMÆ,
Die XXII. Dec. Anno MDCCV.
IN ALMA LUDOVICIANA
DICTUS
A
LUDOVICO GREGOR. NITZSCH
Giſſæ Haſſorum,
Excud. Johannes Reinhardus Vulpius, *Acad. Typ.*

1705

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn830329854/phys_0009
DFG

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn830329854/phys_0010
DFG

SERENISSIMO PRINCIPI
ac DOMINO,

DOMINO ERNESTO LUDOVICO,

LANDGRAVIO HASSIÆ,
PRINCIPI HERSFELDIÆ, COMITI CATTIMELIBOCI, DECIÆ, ZIEGENHAINÆ NIDDÆ, SCHAUMBURGI, YSENBURGI ET BUDINGÆ &c.

DOMINO SUO CLEMENTISSIMO

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn830329854/phys_0011
DFG

HUMILLIMUM HOCCE PIETATIS MONUMENTUM,
SI NON QUOVIS ÆRE PERENNIUS,
QUOVIS TAMEN ÆRE SINCERIUS,
PIIS MANIBUS
SERENISSIMÆ IPSIUS CONJUGIS
ADMIRANDÆ HEROINÆ
DEVOTISSIMA MANU ET MENTE EXSTRUCTUM,
SUBMISSISSIMO ANIMO CONSECRAT

IPSIUS SERENITATI

SUBJECTISSIMUS SERVUS ET SUBDITUS

LUDOVICUS GREGORIUS NITSCH.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn830329854/phys_0012
DFG

I. N. J.

QUocunque circumſpicio, AUDITORES *omnium ordinum, ſuis quiſque elogiis, condecoratiſſimi!* non aliud vident oculi, quam triſtiſſimum communis luctus miſeræque omnium contritionis theatrum, magnumque in ipſa triſtitia certamen; Luget tota Giſſa, imò tota Patria, plangit Academia, lamentatur Eccleſia, exululat querulo ſono quotidianus campanarum pulſus, ſiſtit curſum ſuum præ mœrore Lanus, hæc ipſa cathedra novi doloris ſenſu perculsa trepidat, hic locus, hæc ſubſellia, quam triſti

ſtant

ſtant omnia vultu! Infelix HASSIA! oppreſſa es ingenti miſerabilium calamitatum mole, meritò ingemiſcis, meritò lachrymaris, meritò per acerba ſuſpiria, per ærumnoſiſſimos ejulatus diem ex die ducis. Altero felicitatis tuæ columine divina fata Te orbarunt, obſcurata eſt lucidiſſima oculorum PRINCIPIS Tui pupilla, immane ac acerbum vulnus ILLI TIBIQUE inflixit præcox atque inexpectatus ex hac vita exceſſus incomparabilis HEROINÆ DNÆ. DOROTHEAE CHARLOTTAE, HASSIÆ LANDGRAVIÆ, PRINCIPIS HERSFELDIÆ, NATÆ E SERENISSIMA DOMO ONOLDINA, MARCHIONIS BRANDENBURGICÆ, DUCIS BORUSSIÆ, MAGDEBURGI, STETINI, POMERANIÆ, CASSUBIORUM AC VENEDORUM, ET IN SILESIA, CROSNÆ, BURGGRAVIÆ NORIMBERGENSIS, PRINCIPIS HALBERSTADII, MIN-

MINDÆ ET CAMINI, COMITIS IN CATTIMELIBOCO, DECIA, ZIEGENHAINA, NIDDA, SCHAUMBURGO, YSENBURGO ET BUDINGA &c. SERENISSIMI PRINCIPIS AC CLEMENTISSIMI NUTRITORIS nostri DNI ERNESTI LVDOVICI CONJUGIS exoptatissimæ & nunc desideratissimæ, MATRIS PATRIÆ, dum viveret, CLEMENTISSIMÆ, Virtutum omnium, quæ Principalem Matronam condecorare valent, exemplaris longè augustissimi. Sive nunc immemores privatæ jacturæ miseri cordiam & pietatem nostram omnem convertamus in Illud, quod per Divinam Clementiam adhuc superat nobis, SACRATISSIMVM CAPVT, deprehendimus PRINCIPEM Viduum, miseris afflictum modis, ab exanimato corpore vix revulsum, vix retractum à sacro Principalis sepulturæ loco, infelicitatis suæ testes inclamare cœlum & syde-

ra, qui nil nisi ereptam sibi piam dulcisimamque CONJUGEM videt, audit, alloquitur, tenet. Videmus PRINCIPES LIBEROS, magna quidem amissi irreparabilis in SERENISSIMA MATRE boni solatia, partim tamen ob hoc, quod nunc maximè Materna cura ac providentia haberent opus, partim ob id ipsum præcipuè miserabiles, quod nondum sentiant calamitatem maxima tamen ex parte ad Ipsos redundantem; Sive propriæ calamitatis sensu mœstisimi perpendamus, quam exitialis fuerit nobis totius hujus anni decursus, menti cogitationique nostræ occurrit omine non lamentabili modo, sed portentoso planè & infelicisimo immensa Ilias malorum. Paucos vidimus soles, cometas fatales plurimos. Quibus enim non recentisimus est ille dolor, quem super amisso LEOPOLDO MAGNO, non tam tota Germania, quam omnes & singuli jure concepimus? qui tanto propius Hasiam quoque nostram contingit

tingit, quanto magis in primis eminentiæ ſuæ partibus SERENISSIMA DARMSTADINA FAMILIA reponit illud vinculum, de cujus nexu cum AVGVSTISSIMA DOMO AVSTRIACA ſibi congratulatur. Unde etiam factum eſt, ut edita ab hac *Academia* de doloris iſtius juſtiſſimi communione documenta publicè extent, & ut in perpetuum extent, in manibus omnium circumferantur. Quis verò non luctuoſiſſimo illo, quanquam incerto rumore de obitu Maximi atque de toto Romano Imperio optimè meriti HEROIS DNI GEORGII PRINCIPIS HASSO-DARMSTADINI, tanquam fulmine quodam concuſſus, proſtratus, exanimatus eſt? Sed utinam ſit fallax illa fama! ſit brutum fulmen! Utinam vivat! utinam floreat! ne magnitudo hujus, quem perpetimur caſus, IPSIUS quoque Tanti totius Germaniæ ſyderis interitu atque ja-

ctura adaugeatur & creſcat. Jam jam in nobis nova plaga locum non habet. Satis enim ærumnarum in capita noſtra effudit acerbus & immaturus Celſisſimæ HERO-INÆ noſtræ diſceſſus. Scilicet labefactata eſt publica Hasſiæ ſalus, amiſimus pretioſisſimum felicitatis noſtræ pignus. Quod ſi enim *graviſſimi* PRINCIPUM *labores egent adminiculis, ut domeſtica cura vacui in commune conſulant*, quod ſi *nullum porro honeſtius cenſoriæ mentis levamen, quam habere conjugem proſperis dubiiſque ſociam, cui cogitationes intimas, cui parvos liberos tradat*; Quod ſi *Uxor prudens*, ſapientisſimi mortalium Salomonis Oraculo, *clementis DEI donum eſt*, quis non intelligit, quantus Theſaurus in conſummatisſima ſua DOROTHEA, nomine & omine charisſimo & exquiſitisſimo Dei dono ſurreptus ſit PRINCIPI, Populo, Patriæ? Quantum fuit Auguſto Livia, quantum Theodoſio Pulcheria Sor-

ror,

ror, quantum Ferdinando Hiſpaniarum Regi Iſabella, quantum Angliæ Populis Eliſabetha, tantum & quantum magis? fuit Haſſiæ DOROTHEA CHARLOTTA, ſingularis exempli Princeps, in qua conjunctum concurrit, quicquid virtutum in Heroinis ſuis admirata eſt antiquitas, quicquid in ſuis vel Principibus vel Reginis exoptare votis poterit poſteritas.

Periere PRINCIPIS deliciæ, melliſiſima EJUS vitæ fortunarumq; conſors, in cujus ſinum deponere ſolitus eſt, quicquid curarum, quicquid ſollicitudinum circumſtat capita Principum pro noſtra ſalute, pro noſtra incolumitate diu noctuque excubantium. Hæc ILLI laborum vigiliarumque Comes & Adjutrix fortiſſima, fructuoſiſſima collabaſcentium rerum medicina, præſentiſſimum & unicum defatigati PRINCIPIS levamentum, in ſecundis rebus ſpes, in adverſis ſolatium, cum qua longè amœnior ILLI fuit omnis voluptas,

luptas ; cujus ſocietas ademit dimidium omnis ægritudinis, hæc omnium horarum, omnium curarum , omnium fortunarum ſodalis PRINCIPI acceptisſima , populi juxta cum ILLO Tutrix ac Nutrix vigilantisſima jacet , eheu quod jaceat! proſtrata. Hic dolor PRINCIPIS eſt , hæ omnium lachrymæ , Hæc fuit , ah quod fuerit! inimitabilis ILLA HEROINA , cujus ſublimibus virtutum prærogativis laudibuſque paucos ante dies hoc ipſo in loco parentatum eſt exquiſita Eloquentisſimi *hujus Academiæ* Oratoris facundia. Quanto verò certius eſt non minui , ſed augeri recordatione longaque commemoratione conceptos ſuper amiſſo incomparabili bono dolores, quoque curatius oſtendatur & expendatur ejus pretium , eò vehementius cognita perpeſſi damni magnitudine excruciari pectora noſtra , tantò minus mirum videbitur , quod me nunc denuò illa calamitas ad lamentabilis iſtius concentus conſortia

voca-

vocaverit, imò pertraxerit ; Neque verò verendum eſt, ne in deploranda, quam accepimus, clade excedamus modum. Non enim poteſt eſſe nimium, quod debet eſſe maximum, & meritò malum, quod ſingulos tangit, ſinguli conqueruntur. Poſtquam igitur debitæ in Principem pietati prolixè ſatisfactum videtur publico nomine, ut & pateat, quæ privatorum in hoc luctu ſint partes, quæ vulnera, ego lugubrem hanc cathedram conſcendere auſus ſum, quo ſucceſſu, neſcius, eò certe conatu, ut ſubmiſſiſimæ meæ in PRINCIPEM devotionis piiq; cultus primum ſit experimentum, quod primum linguæ. Conſiluere canoræ Muſarum voces, nunc ego Turtur canto, vel potius flebilis ſaltem Echo pias *Patriæ* & *Academiæ* nomine præeuntium voces & ſuſpiria piè, licet imperfectè reflecto. Sincera itaque veri doloris documenta, & non affectatæ pietatis in PRINCIPEM ſpecimen, cum ſint ea ſola, quæ adornare contendo, veſter AUDITORES *omnium*

ordinum honoratiſſimi favor, quo DIVAE NOSTRAE HEROINAE Manes proſequimini, me quoque ſubvehet, hæc mihi ſpes eſt. Adeſtote novitio Oratori benevola aurium patientia, & quicquid primum experiuntis vel verecundiæ vel imbecillitati deerit, quicquid fiduciæ tàm frequentis Auditorii ſplendor detrahet, quicquid inexercitata lingua infra dignitatem ſublimis ſui Thematis proferet, veſtra humanitate, veſtra benignitate, veſtra commentatione ſupplete. Id quod eâ, qua par eſt, animi reverentia atque devotione etiam atque etiam oro atque obteſtor.

Sagacisſimus ille animorum ſcrutator & magnum Romanæ prudentiæ Oraculum Tacitus in aureo ſuo libello, ubi Majorum noſtrorum mores pandit, inter alia quoque virorum illius temporis de fœminis opinionem teſtificaturus: *Quin etiam*, inquit, *ineſſe illis ſanctum aliquid & providum putant, nec aut Conſilia earum aſper-*

aſpernantur, aut Reſponſa negligunt. Vidimus ſub divo Veſpaſiano Velledam diu apud pleroſque Numinis loco habitam. Sed & olim Auriniam & complures alias venerati ſunt. Quam antiquitatis in Illuſtres Fœminas venerationem his ex verbis cognoſcimus, eam majori jure expoſcere à nobis videntur SERENISSIMAE NOSTRAE PRINCIPIS eximia dona & ſingularis virtutum excellentia. Non, ut EAM Immortali Deo dicamus parem, (abſit enim à nobis impia hæc adulatio, hoc idololatriæ crimen!) ſed quod vitæ ſanctimonia, & ſapientis animæ providentia communi non fœminarum modo, ſed & virorum cœtu longo intervallo ſuperior ſit deprædicanda. Eſt divina quædam, & omni vulgari captu ſublimior dignitas in illo ſanguine, ex quo DEUS *Principes* format, publicarumque producit Moderatores utilitatum, & impreſſa altius ſui ſimilitudine veluti quosdam in terris creat *Deos Deaſq;*.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn830329854/phys_0023
DFG

Atque hæc maximè divinitatis vicinia ſeſe exſeruit in Sanctisſimæ HEROINÆ noſtræ tùm origine, tùm vita, tùm morte. Obtigit nempe nobis tam pretioſa merces ex *Potentiſſima & Electorali* MARCHIONUM BRANDENBURGENSIUM *Domo* magna illa Regum, Electorum, Ducum, Principum, Comitum ſtirpe & proſapia, Heroumque in Germania quodam quaſi ſeminario. Quorum omnium & ſingulorum ſi vetuſtam gloriarum claritudinem à primis ſuis fontibus deducere vel ſtrictim vellemus, ingentem quidem acceſſionem magnificentiæ virtutum PRINCIPIS noſtræ adjungere poſſent auguſtisſima illa nativitatis decora, ſed verendum eſſet, ne in tam vaſti operis difficili conatu vel dies nos deficeret, vel lingua. Loquantur id potius tot canæ antiquitatis monumenta, tot ſimulacra & ſtatuæ, tot Annalium volumina, tot imagines, tot inſignia. Nos, quoniam eximiæ noſtræ PRINCIPI locupletes laudum

laudum ſegetes proprio naſcuntur in horto, origini tantum propiores, & in Illis id maximè memorabimus, quod à tàm glorioſis Majoribus PRINCIPEM noſtram non accepiſſe tantum, ſed ſervaſſe, nec ſervaſſe tantùm, ſed auxiſſe omnia EJVS vitæ momenta dicunt, exprimunt, teſtificantur. O ſancta Pietas! O veneranda Religio! quos Tu tui adſertores, quos Vindices, quæ ſtabilimenta, quæ fulcra erepta Tibi hodienum conquereris in pio illo JOACHIMO II. ELECTORE BRANDENBURGICO, in JOHANNE GEORGIO religioſiſſimi Patris religioſiſſimo Filio, in JOACHIMO ERNESTO & piiſſimo ALBERTO, beatiſſimæ PRINCIPIS noſtræ Serenisſimo Atavo, Abavo, Avo atque Parente!

Quis enim forti Evangelicæ veritatis zelo unquam ſuperavit Te ſanctiſſime JOACHIME! quem non ſolum ex eo probaſti, quod laudabili exemplo Tu pri-

mus in terris Tuis huic Lumini patefeceris januam, ſed & memorandæ illius victoriæ, quam ſuper jurato Divini Nominis hoſte, Mahometica illa colluvie, feroci infidelium turba Anno Seſquimilleſimo Trigeſimo ſecundo in Hungaria reportaſti, immortalis fama æternum deprædicabit.

Tu verò, Beatisſime JOHANNES GEORGI! intrepido Religionis protegendæ ardore & ſincera veritatis Divinæ cuſtodia digno Te filio Parenti par, reliquis omnibus major, ſi non aliud egiſſes, quam ut ſocio Auguſtisſimo illo Saxonum Auguſto, purgatioris Chriſtianæ doctrinæ ſtudio plus quam auream illam concordiæ formulam promoveres atque introduceres, tantum Tibi Eccleſia deberet, quantum nemini. Hoc ſolum ad Nominis Tui immortalitatem ſufficere poteſt.

Et quid de Te fortisſime JOACHIME ERNESTE! triumphalis armorum tuorum felicitas, & illa, quam adeptus es in Alſatia, victoria aliud loquuntur, quam fidem

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn830329854/phys_0026
DFG

dem Tuam in Deum verumque Ejus cultum, ſine quo infirma eſt omnis potentia, in quo potens eſt omnis infirmitas.

De Te verò quid dicam? Piiſſime ALBERTE! cujus non minor fuit ſanctimonia oris quam cordis, imò maxima & oris & cordis. Tu vero fuiſti felicisſimus mortalium, qui mirâ mentis & linguæ harmoniâ, dicendo & faciendo, adeò pium Te, adeò incorruptum per omnem Tuam vitam præbuiſti, ut ne verbo unquam fueris lapſus, ut linguæ Tuæ nunquam exciderit dictum, Chriſtiano non tantum Principe, ſed Chriſtiano ne quidem homine indignum. Nempe intellexit beatisſima anima ſolum ſinceræ pietatis veræque Religionis ſtudium eſſe illam copulam, per quam Deo junguntur mortales, hinc eſſe omnem felicitatem, omne in terris, omne in cœlis bonum. Neque fefellit Religioſisſimum PRINCIPEM tam ſancta perſuaſio, præter reliquas enim felicitatum humanarum partes, quarum omnem menſuram divina gratia

impleverat, dotatus quoque cœlitus Illuſtriſſima & virtutum omnium, inprimis vero pietatis ſplendore ſibi ſimillima Conjuge MARGARETHA SOPHIA OTINGENSI, SERENISSIMÆ noſtræ, glorioſæ memoriæ MATRE, mediâ inter duas alias & has quoque tanto marito dignisſimas Conjuges, cum his omnibus ſui ſexus, ſui ſeculi miraculis, fauſtisſimum habuit matrimonium. Atque ex tanta ſtirpe, his à Parentibus, pietatis gloria, id eſt omnium virtutum radiis exſplendeſcentibus orta eſt SERENISSIMA noſtra PRINCEPS, divina ſoboles, cœli certisſimum pignus, die natali decimo octavo Novembris Anni Milleſimi ſexcenteſimi ſexageſimi primi, non alio nomine atque elogio, quam ſub mentione perfectisſimi hujus muneris in faſtorum pagina commemorando.

Quemadmodum igitur hæc PATRUM pietas & dignitatis præcellentia & omnia illa, quæ naſcenti PRINCIPI noſtræ

ſtræ fauſtè fulſere ſidera, eximium divinitatis favorem & commercium aſſerunt, ita cuſtoditam à Parentibus & Avis cum ſanguine virtutem, & derivatum in ſe natalium ſplendorem non ad id ſibi datum credidit Divino ſpiritu excitata indoles, ut ſuum Nomen alienis adumbraret meritis, ſed ut tot ſibi à cœlo conſtitutos putaret virtutum Magiſtros & ad magna graſſandi Hortatores, quotquot Illuſtria Majorum exempla pia ſecum poſteritas admiraretur.

Rideo illos, quos magna quidem Parentum claritas & generoſa origo commendat, at propriæ virtutis ſtudium peſſimo divortio deſtituit. Alieno gloriari, turpis jactantia eſt. Avorum merita, Nepotum degenerantium notæ ſunt, nec aliud magis poſterorum maculas aperit, quam Majorum ſplendor ac gloria. Veram laudem niſi de proprio ſumpſerit, ab alio nullus expectet. Sæpe excellentis Patris ignavus filius, Patris ignoti filius clariſſimus extitit. Quantum Patre clarior fuit Cæſar? Quan-

tum obſcurior Africani filius ? Vera nobilitas non ab origine eſt, ſed à vita. Rectè quidem Cicero : *Optima hereditas à Patribus traditur liberis omnique patrimonio præſtantior gloria virtutis rerumque geſtarum* ; verum hanc ille demum adipiſcitur, qui, uti Paterni Nominis ſplendori ſuis moribus, ſuis virtutibus reſpondet, ita ſe tanta ſucceſſione oſtendit dignisſimum. At verò Illuſtris noſtra HEROINA, quam ingens fuit Avitæ gloriæ incrementum ? Illam pietatis famam, qua tanquam propriâ ſui annuli gemmâ enituit ſemper BRANDENBURGICÆ gentis honor, quibus non acceſſionibus dictavit ? omnes profectò Majorum ſuorum virtutes, per manus quaſi ſibi traditas pia veneratione & felicibus auſis admirata, imitata, ſupergreſſa eſt. In primis ſtatim annis, quæ ætas hominum in aliis nihil ſolidæ certæque laudis habet, ingenium Ejus come juxta ac generoſum, applaudentibus omnibus maximam aliquando futuram

&

& Majoribus ſuis ſimillimam, ſi tanta virtutis ſeges maturuiſſet, Admiratores habuit, quotquot vel ſpectatores vel collocutores. Crevit cum annis virtutum amplitudo, cum virtutibus formæ mira gratia, mira dignitas, ita tamen, ut non ex pulchritudine virtutem ſuam, ſed ex virtute æſtimaret pulchritudinem. Jam in optimo ſuo flore collucebat totius corporis ſplendor, eminebat gravitate juxta & gratia mixtiſima vultus Majeſtas, fulgebat ex oculis, neſcio quod, generoſæ mentis indicium, cujus igneum lumen mirari facilius poſſis, quam vivis coloribus depingere, verbo: Erat Virgo omnibus ſimulacris emendatior, cujus præclara venuſtatis munera mirificâ morum politie & Heroica animi magnitudine non parum amplificabantur.

Aſſervabatur tùm temporis perfectiſſimum hoc Gratiarum compendium in Stutgardiæ mœnibus, celebri illa Ducatus Wûrtenbergici Metropoli, quò cum Solem Haſſiacum, SERENISSI-

MVM NOSTRVM PRINCIPEM Regentem neſcio utrum fama novæ hujus Cynthiæ, an alia forte ratio invitaſſet, ILLE conſpecto tam multiplicis perfectionis miraculo, confeſtim exarſit, conceptumque amorem ex animo ſuo dimovere non potuit. Nec diſplicuit judicio Præſtantisſimæ FOEMINAE ſibi tam glorioſus Tanti PRINCIPIS affectus, capta enim & Illa excellentibus ERNESTI LVDOVICI dotibus & illecebris, poſthabita frequenti Competitorum Illuſtrium turba, ſuffragante utrinque Serenisſimorum Cognatorum conſenſu, celſam erectamque cervicem jugo tamen ſuavisſimo amoris ſubmiſit, ſibiq; de Tanto Sponſo lætisſima mente gratulata eſt. Agnovit nempe virtutum uti propriarum parcisſima, ita alienarum longè juſtisſima Æſtimatrix, tantum ſibi omnis perfectionis lumine prælucere Conſummatisſimum PRINCIPEM, quantum Ipſa cœteris; veluti fulgen-

fulgentisſimum ſereni ſolis jubar tantum ſui ſyderis fulgore ſuperat lunæ lucidioris ſplendorem

Quantum præcedit clara minores
Luna faces, quantumq; alios premit
Heſperus ignes.

Victa itaque ab invicta lampade tandem relictâ Wûrtenbergica Aulâ Illuſtrem ſui PRINCIPIS Domum Anno ſupra ſesquimilleſimum centeſimo octuageſimo ſeptimo, die Decembris primo, celebrata ſplendidisſima Nuptiarum magnificentia ad thalami ſacrum reverendumque conſortium ingreſſa eſt. O fortunatum, O auſpicatum matrimonium! O felicisſimum diem, qui Patriæ Matrem, delicias PRINCIPIS unicas nobis adduxit! O Haſſiam beatisſimam gemino hoc ſydere, haud vano multiplicis felicitatis augurio, illuminandam! O duo candidisſima pectora indiſſolubilibus mutuæ benevolentiæ nexibus copulatisſima. Quam reverentiam Marito ſuo præſtitit Uxor, cum IPSA ſum-

mam mereretur! Qua fide, quo amore complexus est Maritus Uxorem, ob hoc ipsum summa fide, summo amore complectendus! ILLE charitate Gracchum Tiberium præcessit, qui propriæ vitæ antepoſuit vitam Corneliæ conjugis, ILLA moribus undequaque castis Sulpiciam, conjugali fide superavit Conjugem Admeti Ducis, quæ volens mortem Mariti sua morte mutavit. Celebrata vox est, omne prius in cœlis concludi matrimonium, quam contrahatur in terris. Quod si de omnibus etiam privatorum connubiis verum esse creditur, quantò magis de publicis Principum conjugiis erit accipiendum? à quorum prospero vel infelici eventu, quem fugit, quantum dependeat salutis publicæ vel incrementum vel detrimentum? Quod onus & Marito & populo fuit Eudoxia Imperatoris Arcadii uxor, à qua regebatur Ipse, quæ Maritum veluti capistro quovis trahebat? Quas non mortes jussu Messalinæ patravit Claudius, devinctus uxori ad improbe quævis agenda pesſi-

pesſimæ Conſiliariæ? Scilicet quæ inconſulto Deo, cœco magis affectu, quam prudenti conſilio ineuntur matrimonia, felicem exitum raro vel potius nunquam ſortiuntur. In SERENISSIMO noſtro PRINCIPE, qui, titulo virtutis magis quam dignitatis, verus Pater Patriæ eſt, quique uti ſine divinis Auſpiciis nihil agit, quod agit, ita inprimis in hoc tanto negotio, ubi de ſtabilienda tam ſua quam publica quiete agebatur, non vanam Divini Numinis reverentiam, nec prudentiam minorem arguit inſignis & rara matrimonii felicitas. Non niſi, qui cum Deo calculos in eligenda vitæ ſocia ponit, ille bene nuptias contrahit. Hinc ex ſolenniore & auguſta operum ſuorum officina Tanto PRINCIPI gratificata eſt Divina Benignitas ea Conjuge, quæ ſi à cœlo denuò exoptanda eſſet, perfectior votis expeti non poſſet, hinc dubium, utrum in eligendo hoc tanto publicæ tranquillitatis fulcro ſui magis commodi rationem habuerit Optimus PRIN-

CEPS, an noſtræ ſalutis omniumq; emolumenti. Imò habuit utriuſque & SIBI proſpexit & bono publico. Quam amabili enim gratia colebat ERNESTVM LVDOVICVM SVVM fideliſſima CONJVX! quanta prudentia ſublevabat partemque curarum in ſe transferre noverat! quam blande fovebat Illud Caput laſſum curis, Regiminis onere defatigatum! ut reficiebat! ut recreabat! Quam probe obſervabat affectum ſenſumq; PRINCIPIS ſui, ut iis ſemper occurreret rebus, quibus noverat IPSVM maximè delectari! quam jucunda IPSI in omnibus, quam placida fuit! Per annos octodecim exceptis quindecim diebus hoc duravit matrimonium, & *nullis concordia rupta querelis.* Vixere ſine jurgio, ſine offenſa. Frigiuſculo nullo amor ILLORVM intepuit, unus finis fuit CHARLOTTÆ amare ERNESTVM LVDOVICVM & ab eo amari: unus

finis

finis ERNESTO LVDOVICO CHARLOTTAM affectû mutuo prosequi, hactenusque nihil conqueri, quam quod non simul cum CHARLOTTA sua licuit mori.

Nec potuit tam piis Conjugibus deesse divinitus data prosperitas, sed cujus in nomine cœpit hæc reciproca amoris castitas, Illius quoq; gratia obsignata est formosis, magno nostro solatio, pignoribus, quæ juxta cum SERENISSIMO PATRE omnes supersunt, Ipsiusque mœrorem super amissa dulcissima MATRE mox exacerbant, mox consolantur, PRINCIPES inter Duas Sorores medii tres, SERENISSIMA DOROTHEA SOPHIA, LVDOVICVS SERENISSIMVS PRINCEPS Hæreditarius, Dominus noster Clementissimus, CAROLVS WILHELMVS, FRANCISCVS ERNESTVS & FRIDERICA CHARLOTTA. Faxit Deus, ut horum

rum incolumitas sit perpetuum amissæ incomparabilis MATRIS solatium, longèque in gloriam SERENISSIMAE DOMVS vivant, floreant, fulgeant tanti Solis tam illustres Stellæ.!

Sed non contenta fuit admiranda FOEMINA SERENISSIMO CONJVGI in ædibus & domi placere, quin & virtutum suarum Lumen, vel potius quendam magnum Oceanum in omnes Hasiæ partes latè diffunderet, tùm demum se veram esse Principem rata, si & sentirent alii felicitatis & potentiæ suæ fructum, omnesque subditi tam pro se, quam supra se, à Deo constitutam agnoscerent. Hinc ob singularem prudentiam in consiliorum curarumque partem à SERENISSIMO CONJVGE frequentissimè assumpta, invigilavit juxta cum ILLO insurrexitq; publicis utilitatibus. Consuluit Patriæ afflictis, fera cæde abstinuit, tempus iræ, orbi quietem, seculo suo pacem dedit atque tranquillitatem, malo-

rum

rum terror, bonorum fiducia, infelicium Asylum. Detestata est pestilentissimum illud Juliæ Augustæ dictum: quod libet, licet; Quod non licuit, ipsi non libuit. Castitas emicabat ex pectore, ex ore amor, ex oculis mansuetudo. Non verbo, non vultu, non gestu arrogantiæ aut inhumanitatis signum dedit unquam, solis ad instar non alia diviti, non alia pauperi, sed omnibus eadem. Admittebat ad sacros suos sermones honestissimum quemque, adeò ut si quem vel pudor, vel timor, vel reverentia retineret, manu vultuque invitaret cunctabundum. Vixit cum civibus suis, cum ministris, cum domesticis, quasi Parens cum liberis; Semper & erga quoscunque erat ILLI ea facies, quæ sereni cœli ac nitentis. Reverentiam terrore non captavit, sed humanitatis potius melle omnia replevit, veluti Rex apum, qui solus aculeum non habet, aut certè non utitur, cæterum & corpore & præstantia reliquis omnibus superior. Inde omnium amor, omnium be-

nevolentia, & inter tot millia non unus, qui, si fas foret, vel impendio proprii spiritus nunc non vellet redemptam *Prudentissimam*, *Humanissimam* & *Clementissimam* PRINCIPEM.

Hanc summorum perinde ac infimorum in se charitatem non modicè auxit insignis EJVS *modestia* & hac virtute venerabilis PRINCEPS. Vestitus IPSI inter æquales nihil excedens, tanquam quæ cum Juliano turpe putaret sapienti esse, cum animam habeat, ex corpore captare gloriam. Quæcunque addunt vim ac speciem honestatis ac verecundiæ, his sese magis ornavit quam Smaragdo, quam purpura & byssо, quam unionibus auro & gemmis, hoc est, tot civium lachrymis. Non erat ILLI Pompa, quæ subditis Tragœdia. In comitatu, in victu, in omni sua vita, quantò erat superior, tantò se gerebat submissius, secura magnitudinis suæ haudque ignara, quod, cui nihil ad augendum fastigium supereſt, ille crescere hoc uno modo possit. Sed

vereor

vereor ne & hæc modeſtiæ laus gravis ſit *Modeſtiſſimæ* PRINCIPI poſt mortem, quæ in vita omni citius laudi favebat, quam ſuæ.

Tranſeo ad *Conſtantiam & Magnanimitatem* MAGNAE HEROINÆ. Nullum hac in vita tam conſtans & optabile eſt bonum, quod non miſceatur poculo aliquo mœrorum. Ingens rerum humanarum rota eſt. Non ſemper violæ, non ſemper lilia florent. Habent & roſæ ſuas ſpinas, & vix ſerena aliqua dies ſine nube præterit; Sic ſuam quoque triſtitiam experta, & in tam vario volucris fortunæ curſu nubeculas aliquas paſſa eſt HEROINA noſtra, quas verò ardentiſſimis ſemper conſtantiæ ſuæ radiis ſubitò diſſolvit. Superiori bello infeſtatis Germaniæ finibus à Gallo milite, jamjam in Haſſiacum quoque ſolum irrumpente, Darmſtadinam Arcem, cui jam imminere credebatur hoſtis, dubia utrum unquam, an quando, utrum in eo ſtatu, an deſtructam

dirutamque reviſura, unà cum CARISSIMO CONJVGE deſerere, Giſſamque hanc noſtram confugere coacta eſt. Interim excitata magis quam fracta triſti hoc caſu FOEMINA Heroici planè ſpiritus, animoſisſimè excepit hujus calamitatis ictum, vacillanteſque ſubditorum animos, ſuo præſidio, ſuo exemplo ſuſtentavit, donec tandem Deus probata PRINCIPIS conſtantia pulſis iterum ex confinio noſtro hoſtibus, omnia in priſtinum nitorem reduxerit. Sic nempe in flammis perit, vivitque Phœnix. Ferrum & chalybs cætera quidem duritie & rigore ſuperant, ab adamante tamen vincuntur, at animus invictus & ſpe ac fiducia in Deum intrepidus, omnibus reſiſtit, nulla re frangitur, imò ne movetur quidem. Taceo plura alia *Conſtantiſſimæ* PRINCIPIS ſpecimina atque documenta.

Conſtantiam excipiat *Temperantia* HEROINAE noſtræ, quæ virtus,

uti

uti aliæ animo tantum prosunt, ita ipsa robur sanitatemque corpori primum affert, deinde mentem erigit atque exacuit, quæ ingluvie obtunditur atque hebescit. In aula vero Tua quo se tueretur colore luxus & mollities? *Temperantissima* PRINCEPS. Quem non puderet paulatim ebrietatis & ingluviei, versantem quotidie in conspectu PRINCIPIS, cibo, potu, & victu parcissimæ! Ubi hic Sybaritarum mensa? Syracusanæ deliciæ? Smyrnæi mores? Sardanapali mollities? Sapientis dictum est: *Uxor temperans est thesaurus qui surripi non potest.* Exemplo suo comprobat & confirmat *Temperantissima* & *parcissima*, atque adeo etiam *Liberalissima* PRINCEPS, quæ virtus ex duabus illis, tanquam ex radice palmes efflorescit. Pythagoras interrogatus, qua ratione ad Deorum naturam propius accederent homines? si *veritatem*, inquit, *amplectuntur cunctisque benefaciunt.* TV tanto magis prolixa animi

tui benignitate Divinæ naturæ appropinquasti, *Beneficentissima* PRINCEPS, quod omnibus feceris bene, nemini male. Solent non raro aliæ Principes, quibus lucri bonus est odor ex re qualibet, eò sorditiei atque avaritiæ devolvi, ut nullius misertæ tributum, ut ajunt, vel à mortuo exigant: tùm verò simulatione falsæ gratiæ in publicum aliquid dispensant, ut consolentur, quibus ablatum est. TV verò PRINCEPS *verè Benefica*, & eo ipso plurimum largita es, quod nihil abstuleris. Quæcunque dedisti, de tuo dedisti, hinc non hujus gaudium, illius tristitia, sed pariter & gratissimum accipientibus est, quod sciant dari sibi, quod minimè est ereptum, & omnes mirantur locupletatis tàm multis pauperiorem factam Principem tantum, imò ne hanc quidem. Sed uti ab avaritiæ finibus recessit dando *Munificentissima* PRINCEPS. ita in turpissimæ profusionis abyssum non incidit judicando. Dedit, sed dedit non nisi

nisi bene vel meritis vel merituris, illis præmia, his exempla. Maximè verò sensere beneficentiæ Principalis fructus miseræ pauperum egenorumque turbæ, quippe optimè intellexit *cum judicio Liberalissima* PRINCEPS, quæ in pauperes dispensatur, non donari, sed elocari, sed fœnerari pecuniam. Hinc tot ejus in vita beneficentiæ in miseros monumenta, & nunc post mortem magnæ pecuniarum summæ frumentique insignis copia Ipsius dispositione Darmstadii hicque Gissæ distributa. Liceat mihi huic non minus, quam omnibus Principalibus virtutibus deprædicandis longè impari, obsignare hæc verbis Plinianis, qui laudando Trajani Imperatoris munificentiam: *Nullum est*, inquit, *magno Principe immortalitatemque merituro impendii genus dignius, quam quod erogatur in posteros.*

Non audeo *Facundiam* Tuam, illosque omnem suavitatem redolentes sermones attingere *eloquio Pollentissima*

PRINCEPS. Retinet me pudibunda formido, ne, dum de Nectarea illa tua benedicendi facultate differam, vel ex ipsa comparatione sese prodat orationis meæ imbecillitas, fiatque palàm, quam indignus Tibi contigerim præco. Sacro potius silentio veneror illius divinæ modulamina linguæ, ex qua fluit, quicquid mellis habent Musæ, non inanis loquacitas, sed copiosè loquens sapientia, quæ omni meo, quid meo? omni humano præconio superior longè est atque augustior, quam dignis laudibus prosequi non possem

Et mihi si centum Deus ora sonantia linguis
Ingeniumque capax, ipsumq; Helicona dedisset.

Illa verò omnia ingentia animi dona, Heroicam illam indolem, illam in Conjugem fidem, in subditos clementiam, in prosperis moderationem, in voluptatibus, permissis quoque & usitatis, temperantiam, illam humanitatem, modestiam, liberalitatem, quan-

quantum denique animavit, augmentavit, illuminavit, Princeps architectandi cæteras virtutes, Brandenburgicæ ſtirpi tam domeſtica virtus, ſincera PRINCIPIS *Pietas*; ſine qua, quæcunque veniunt ſub nomine virtutum, non virtutes ſunt, ſed virtutum monſtra, ſed impoſturæ, ſed ſplendida ſcelera. Hac demum effeciſti, *Religioſiſſima* PRINCEPS, ut ſumma tua originis, vitæ mortiſque dignitas mortalibus viſa fuerit quædam divinitas, ut, cum fueris ortu Magna, moribus Major, pietate evaſeris Maxima. Hæc ſphæra tua fuit, huic inhæſiſti, hinc lucem clariſſimam in omnes Patriæ partes ſparſiſti. Deum colere, Deo inſervire, hic labor tuus, hæc vita fuit. Quæ tempora ab aliis voluptatibus, deſidiæ vel quibuſcunque animi remiſſionibus impenduntur, hæc TU lectionibus ſacri codicis, precibus, pſalmis, religioſis colloquiis & omnis pietatis exercitiis impertita es. Conciones publicas frequentiſſimè audiviſti, Miniſtros Eccleſiæ honorificè

coluiſti, quibus ex eo magna reverentia acceſſerat, quod TV quoq; illos reverebare. Verum, quas ex ſedula vel verbi divini lectione, vel prædicationum auſcultatione hauſiſti ſanctas ſententias, non ſimiles habuiſti Numismatibus antiquioris ævi, quæ, quamvis maximè æſtimari ſoleant, in contractus tamen humanos minimè veniunt; ſed potius, uti Apelles pictor queri ſolitus eſt, periſſe diem, in quo non duxiſſet lineam, ita TV querebaris, ſi quotidiè non evaderes TE ipſa melior ſanctiorque. Hinc aula Tua fuit veluti ſchola, non faſtus & ſuperbiæ Theatrum, non voluptatum illecebrarumque veſtibulum, non æmulorum, non rixantium, adulantium, calumniantium campus, invidiæ atrium, omnium denique fraudum & fallaciarum officina; ſed Templum Deo dicatum, Pietatis ara, Juſtitiæ Tribunal, ſacrum quoddam Conſiſtorium. Hinc exiit ex aula Tua tritum illud: *Exeat aula*

qui vult eſſe pius,

& com-

& commutatum meliori habitu rediit:

Exeat aula
qui vult esse malus.

Atq; ita, quæ Maxima fueras animo, Major eras exemplo, & præter infinitos alios hunc præcipuum reportasti *pietatis* tuæ fructum, quod in ultimo illo mortis articulo (ah! quod hujus mentio à me præteriri non possit!) Ipsam TE destitutam corporis Tui viribus vigore animi sustineres, qui nec acerbitate dolorum, nec spatio valetudinis, nec metu mortis infractus, divinoque confixus timore nullis tentationum ventis evulsus est: ad instar quercus, quæ altius demissis radicibus nullis venti viribus dimoveri potest aut sterni. Secundum illud. *Timenti Deum etiam bene est in extremis*, ex vita hac placidè emigrasti, amaritudinem mortis non sensisti, sed moribunda ineffabilem illam æternitatis dulcedinem felicissima beatitudinis festinatione prægustasti, itaque læto gestu ac voce exclamasti: *Domine JESU, ah! Domine JESU!*

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn830329854/phys_0049
DFG

Audita es BEATISSIMA! exaudita es. Nunc inter brachia Salvatoris Tui, in ſinu Abrahæ mollius ac melius requieſcis. Fulges in orbe novo, ubi nullus nubibus, nullus nocti, nullus tempeſtatibus locus, perpetuò immortalis Tui Nominis lumine, quicquid in terris lucem admittit, reples atque illuſtras. Gratulor Tibi æternitatem, BEATISSIMA ANIMA! Salve recentisſimum cœli ſurgentis Aſtrum! Vale præſtantisſimum labantis Patriæ fulcrum! Vale in æternum, vale, vale ac ſalve!

Verum ah! quod *Sanctiſſimæ* noſtræ PRINCIPI adeò eſt glorioſum, quam nobis omnibus factum eſt luctuoſum! ILLI æterna Bonitas fecit bene, ut nobis faceret male. Ah mi Deus! procumbimus ante faciem tuam ſanctisſimam, & fatemur, verum eſt, irritavimus iram tuam, magna ſunt peccata noſtra, quotidiè augentur & invaleſcunt; in ſummum crevit luxus & faſtus, nunquam odium & ambitio major, ubique diſcordia, nullibi amor

amor, mel in ore eſt, fel in corde. Sed gratiam fac nobis Domine ſecundum benignitatem tuam. Multum peccavimus, multum perdidimus. Ignoſce porrò miſeris, Maxime Deus! & preces noſtras exaudi. *Non Te diſtringimus votis, non pacem, non concordiam, non ſecuritatem, non opes oramus, non honores: ſimplex cunctaque iſta complexum unum omnium votum eſt:* SALVS PRINCIPIS.

Ad Te itaque SERENISSIME PRINCEPS, *Domine Clementiſſime*, ægras noſtras manus protendimus, omnes & ſinguli dovotè atque anxiè precamur, ut ita temperes dolorem Tuum, ne in hoc vulnere planè ſuccumbas, ſed memor Heroicæ vocis, quam ex ſacro ore IPSIVS DVLCISSIMAE TVAE CONJVGIS jamjam morituræ IPSE audiviſti, lugeas quidem maximam PRINCIPEM, ſed *chriſtiane*. Eſt modus pietatis, eſt

meta, & decet Principem ob aliorum magis dolere calamitates, quam ob ſuas. Ita ſentis CLEMENTISSIME DOMINE, non dubito. Fave itaque æternitati divæ PRINCIPIS TVAE, cujus mortalitas magis finita quam vita eſt, quæ vixit ad deſiderium populi parum, ad res geſtas ſatis, ad memoriam Nominis ſemper. In TE nunc ſolo omnes ſpes noſtræ, omnes fortunæ recumbunt, ſerva itaque TE Haſſiæ bono, populi votis, omnium ſaluti, SERENISSIME PRINCEPS, vivas Pater Patriæ, Floreas, Imperes, Pie, Felix, Inclyte, Auguſte.

Tandem ad VOS me converto TANTAE PRINCIPIS SERENISSIMI LIBERI! VOS verò ſuccreſcite in ſpem MAXIMI PARENTIS, Haſſiæ Decora, felicis aulæ glorioſa munimenta, omnium ſolatia. DEUS de noſtris veſtros annos adaugeat, ſatis enim viximus, ſi pro

si pro Dei honore & vestra incolumitate vitam hanc effundimus. Vivite! florete! VOBIS sera PATRIS immortalitas, prospera Sororibus matrimonia, digna Fratribus moribus suis fata contingant & tempora!

TV verò maximè *Celsissime* LVDOVICE, PRINCEPS HEREDITARIE & *Domine* noster *Clementissime*, TV animum ad superna evehe & attende. Regenerare Parentes virtutibus, æmulari meritis, hoc demum est justa solvere. Age itaque SERENISSIME PRINCEPS! & indita TIBI Heroicæ indolis semina porrò copiosissimè reple, & redde nobis in TVA virtute CHARLOTTAM PRINCIPEM *Piam*, CHARLOTTAM *Sapientem*, CHARLOTTAM *Magnanimam*, CHARLOTTAM *Beneficam*, CHARLOTTAM *Facundam*, CHARLOTTAM

in ſummo Principalis ſplendoris faſtigio *Submiſſam*, *Gratioſam*, *Clementem*. Harum omnium virtutum magnificentia redde TE & vivo *Conſummatiſſimi* PATRIS Exemplo, & divo *Beatiſſimæ* MATRIS Miraculo parem, ſola annorum, virium, ſalutis diuturnitate, ſupera CHARLOTTAM PRINCIPI. TIBI, Aulæ, Populo, omnibus præproperè ereptam.

DIXI.



MATTHIÆ NICOLAI KORTHOLTI,

Prof. Eloq. & Poëſ. Ordin.

Invitatio ad audiendam Orationem Funebrem.

EGregiis, quæ Cornelium Tacitum ornant, ſententiis, illa eſt annumeranda, qua illuſtriorum ultimos honores Annal. l. XVI. c. 16. celebrati ſic ſuadet: *In Traditione Supremorum accipiant habeantque propriam memoriam.* Quibus verbis hoc in loco docet, principum inprimis hominum memoriam quoque poſt mortem ſancte habendam eſſe, ut extinctas cum iis virtutes lugeamus, &, quod ad uniuscujusque gloriam pertinuit, quibuscunque ſubſidiis & literarum adminiculis ad poſteritatem ſtudioſe transmittamus. Qui vivos honorant, eorundemque voluntati & nutui obſecundant, ſæpe numero non tam aliorum, quam ſua decora quærere ſolent, ideoque ſibi conciliare ſtudent voluntatem hominum, quos ſua commoda amplificare poſſe habent perſuaſum. Qui vero defunctis ſupremum pietatis cultum declarant, affectu puriori commonſtrant, ſe veræ ſtudio laudis ita trahi, ut etiam abſtrahi ſe minime patiantur à glorioſa memoria mortuorum, quorum tamen gratiam ulterius aucupari, aut beneficia ſperare vel exſpectare nequeunt. Præterea de iis, quos præſentes adhuc intuemur, ſine amore, ſine odio, ſine invidia raro judicamus. Quamobrem incorruptiora multo elogia tribuuntur illis, quibus vitæ valedicentibus æterno laudis teſtimonio poſteritas ſervit. Hæc cum perpenderet Tullius, in epiſtola politiſſima ad Quintum Fratrem ſapienter arbitratus eſt, non ſolum utendum judiciis & exiſtimationibus hominum, qui nobiſcum ſuperſint, ſed etiam eorum, qui deinde futuri ſint veriores ſententias ferentes. Quin etiam Salluſtius Orat. II. ad Cæſarem patriam ita loquentem inducit, ut ſignificet, ipſam ſe virtutem magis extollere, ubi anima naturæ ceſſerit. Unde conſtat ad illum item cumulum venerationis, quo in altiori faſtigio conſtitutos, & Heroes vel Heroinas colimus, non alia ratione magis addi, quam ſi ſedulo ac diligenter caveamus, ne poſt obitum idem tumulus, qui corpus contegit, nomen ſimul & laudatiſſimam memoriam obruat. Quodſi vero unquam Princeps fœmina promeruit, ut eam poſt mortem etiam ſubmiſſiſſimo cultu veneraremur; nunc certe id glorioſiſſimæ *Haſſiæ MATRIS* triſtiſſima nobis fata ſuo jure à nobis efflagitant. Etenim mundum deſeruit *SERENISSIMA PRINCEPS ac DOMINA, DOMINA DOROTHEA CHARLOTTA, Haſſiæ Landgravia, Princeps Hersfeldiæ, nata March. Brandenburgica, Boruſſiæ, Magdeburgi, Stetini, Pomeraniæ, Caſſubiorum ac Vinidorum & in Sileſia Croſnæ Dux, Burggravia Norimbergenſis, Princeps Halberſtadii, Mindæ & Camini, Comes Cattimeliboci, Deciæ, Zigenhainæ, Niddæ, Schaumburgi, Iſenburgi & Budingæ, Domina noſtra clementiſſima.* Quamobrem ſigna nulla jam ſunt magis ad nos omnes accommodata, quam è quibus optime cognoſcitur affectus è communi mœrore natus, dum omnis ordinis, ætatis, & ſexus homines non ſine acerbiſſimo animi ſenſu recordantur, hanc Principum fœminarum gloriam ademtam eſſe. *CUJUS* quidem tam præclara fuit pietas in Deum,

tam excellens propenſio in Populum, tam materna pro ſacris & civilibus cura, ut videatur omnino mori non debuiſſe. Ac quo majori ſubjectiſſimæ reverentiæ obſequio clementiſſimum *DOMINVM* ſuum hæc Academia complectitur, eo magis ob *EJVSDEM* læta & proſpera gaudio, ob adverſa & calamitoſa dolori debet frena laxare. Ex *ISTIVS* vero amplexibus cum avulſa ſit exoptatiſſima *CONIVX*, non ſolum univerſum Academiæ Senatum nigris faſciis circumdati faſces, & documenta cuncta mœſtitiæ, ſed etiam florentiſſimos Academiæ Cives, quas gerunt, nigræ faſciæ decent, maximeque laudandi ſunt, quotquot ex his in doloris ſe ſocietatem offerunt, & nunquam ſatis honorandæ Principis memoriæ juſta vere juſta perſolvere laborant. Inter eos autem elogio ſingulari dignum ſe præbet Nobiliſſimus Juvenis,

LUDOVICUS GREGORIUS NITZSCH,
LL. Stud.

Qui incomparabili *PRINCIPI* proximo die XXII. Decemb. Oratione funebri, ſuo prorſus ſtudio compoſita, ſupremum pietatis officium præſtare, &, quæ de *EJVSDEM* virtutibus explorata habet, ſermone publico commemorare conſtituit. Quem ſi nihil aliud commendaret, (commendat autem ingenii nobilitas & paternæ laudis æmulatio) hoc ipſum non parum decorat, quod natura Parentem eidem conceſſit, ſummum JCtum, Fridericum Nitzſchium, Academiæ quondam noſtræ Procancellarium Magnificum & Juris Profeſſorem primarium, qui ampliſſimis & immortalibus in Rempublicam literariam meritis etiam nunc in animis omnium vivit, in iisdem non unquam moriturus. Qua de cauſa omnino confidimus, quoscunque *AVGVSTÆ DOMVI HASSO-DARMSTADINÆ* devotos, & inclutæ famæ Nitzſchianæ non immemores, eo facilius precibus noſtris jam locum daturos. Quos ea, qua par eſt, obſervantia & humanitate rogamus, ut Oratori noſtro præſentiam ſuam indulgere non recuſent & ſic exiſtiment, in poſterum occaſionem ſe non facile reperturos, qua meliori *PRINCIPI* ſubjectiſſimum ſtudium queant impendere. Sane almæ hujus *MATRIS*, quia conſtantiſſimo Populi, tenerrimo Sereniſſimi *CONJVGIS*, ardentiſſimo *NVMINIS* amore ſemper flagravit, etiam ſancti cineres merentur, ut eos exoſculemur, & magis, quam aliorum plurimorum inſignia ſplendidiſſima veneremur. PP. die Dom. IV. poſt. Adv.
Anno MDCCV.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn830329854/phys_0056
DFG

Aria
Welche bey der Oration abgesungen worden.

ARmes Hessen! Deine Thränen/
Deiner heißen Seuffzer Zoll/
Deiner Bürger ängstlich sehnen
Lehrt uns/wie man trauren soll/
Wann des Himmels Zorn entbrennt/
Und dergleichen Häupter trennt/
Welche mit vereintem Schein
Ihres Landes Sonne seyn.

2.

Jeder setzt zu deinen Klagen
Billich sein bedrängtes ach!
Dann der Blitz/der dich geschlagen/
Zeugt auch aller Ungemach/
Eine allgemeine Noth
Kommt auß deiner Fürstin Todt/
Und ein jedes Hertze spührt/
Was das gantze Land gerührt.

3.

Hier in deinem Edlen Giessen
Lernen wir der Tugend Preiß/
Wo der Weißheit Ströhme fließen/
Mit besondrer Müh und Fleiß;
Aber jetzund sehen wir/
Daß der Tugend beste Zier
Nun in Deiner Dorothe
Unsern Augen untergeh.

Darumb

4.

Darumb sehen ihre Strahlen
Dunckel und verfinstert auß/
Die bestürtzte Musen mahlen
Nacht und Schatten in Ihr Hauß.
Klugheit und Beständigkeit
Keuschheit und Bescheidenheit/
Doch noch mehr Eusebie
Weint um deine Dorothe.

5.

Jedoch Heßen sey zufrieden
Mit der Straffen sanfftem Joch/
Ist die Mutter schon verschieden/
Lebet doch der Vatter noch/
Dieser lebe hersch und blüh!
Himmel! (alle ruffen hie:)
Setze seiner Zeiten Ruh
Viel von unsern Jahren zu.

f.

J. J. Wieger.
Argentorat.



Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn830329854/phys_0059
DFG

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn830329854/phys_0060
DFG

4318

30.-

6925
cal.

6 Okt 1966 F.

Ost of

Oswald Weigel
Antiquariat & Auctions-Institut
Leipzig, Königsstr. 1

20.-

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn830329854/phys_0061
DFG

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn830329854/phys_0062
DFG

Der muntre, tapfre **Printz**, ein Feind von langen Hoffen,
Des Liebe Meer und Land zeithero unterbrach,
Freut sich, daß nun sein Wunsch in so weit eingetroffen,
Daß nach der langen Nacht sich zeigt der güldne Tag;
Da Er, was der Geist umfangen
Mit so brünstigen Verlangen,
Dessen Feuer, dessen Gluth
Dämpfft kein Meer, löscht keine Fluth,
Endlich in die Arme fasset, als ein unschätzbahres Guth.

So groß mein Hoffen war, spricht Er, wars doch zu wenig,
Wenn Ich, den hohen Schatz damit vergleichen soll,
Den Mir der **weise Fürst**, der **Britten grosser König**,
Jetzt sendet zum Gewinn, und meiner Liebe Zoll:
Was vor Danck soll ich Ihm geben?
Wie soll Ich verbunden leben?
Carolina, Deinem Geist
Wird kein Opffer, wie es heist,
t nach Würden angezündet, wenns auch Gold und Weyrauch
speißt.

Catten, meinem Volck, und der **Cherusker** Sprossen,
önnt dieses Glückes Strahl den allerschönsten Tag;
enn der Himmel sonst der Pallas Bild gegossen,
d es noch Troja schenckt, da nie kein Wohl gebrach;
Diß Palladium soll Hessen
Ehren, und niemahl vergessen,
Daß es ein Geschencke sey,
Daß der grösten Lieb und Treu
würdig, denn es bringet dir die güldne Zeit herbey.

Musen, welche sich am Leine-Fluß ergötzen,
enn sich ihr stiller Geist ins Alterthum vergräbt,
nen sich dieß Band zu jenem hinzusetzen,
Heinrich recht vergnügt mit **Adelheid** gelebt,
Da das Glück auf güldnen Wagen
Hessen damahls hat getragen;
Da itzt Cassels **Friederich**
Liebt **Mariam** inniglich,
sein Hoff ein solches Eden, und sein Land ein Seegens-Strich.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn830329854/phys_0063
DFG